XXXIII.

Q. D. B. V.

DE

STIGMATIIS

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

PERMISSU

SINE PRÆSIDE

DISPVTABIT

AD D. JUNII 1711.

ERHARDUS [illegible]

ALTDORFINUS.

LITERIS KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

A. 4562 EK

PRÆFATIO.

*SPecimen Academicum eorum, quibus in me arbitrium est, jussu edituru*s, *diu de Thematis alicujus electione solicitus fui; non quod nullum se mihi offerret; sed quod plera-q; a Doctoribus jam occupata, accurate conscripta & ventilata viderem. Unicum de Stigmatiis, quod non solum in Jure usum haud exiguum habet, verum & antiquitatem multum illustrat, a nemine, quem ego quidem novi, usque huc peculiari dissertatione Academica pertractatum, tandem placuit. Hoc itaque si non pro materiæ amplitudine, pro ingenii tamen modulo, exantlatis rite examinibus, elaborare, & disputationis solennis loco proponere decrevi. Quem laborem ut DEUS T. O. M. fortunet, supplex rogo. Tu vero L. B. hunc conatum pro Tua humanitate æqui bonique consule.*

J. J.

SECTIO PRIOR;

Eaque

Philologico-Historico-Juridica,

Continens ea

quæ ad historiam & nomen Stigmatum pertinent.

§. I.

Etymologia.

Stigmatis vocem Græciæ suam debere originem, certum est: siquidem à στίζω i. e *pungo*, *notas inuro*, derivatur; unde, secundum nonnullos, verbum obsoletum, *stigo*, cujus compositum *instigo* in usu est, descendit. Nec desunt, qui vocem Germanicam, Stich/ hinc deductam velint. Inde etiam voces, in ipsa tractatione subinde recurrentes oriuntur, v. gr. στιγμὴ i. e. punctum, & στιγματίας, qui notis est compunctus, sive stigmaticus, cui stigma inustum, sive qui punctis est interstinctus, Germ. der mit einem

nem Mahl gezeichnet iſt. Item apud recentiores verbum inde ortum invenitur, *ſtigmo*, *ſtigmare*. Hinc pallium *ſtigmatum*, i. e. punctis variegatum, maculoſum.

§. II.

Præter originariam vocis illius ſignificationem cumprimis hic notari meretur ea, qua ſtigma denotat punctum, quod infamiæ cauſa alicui inuritur. Unde & *ſtigmaticus* & *ſtigmatias* pro homine infami, ſive illo, qui ob aliquod crimen & maleficium notis eſt inſcriptus, Germ. Ein Gebrandtmahlter / Gebrandtmerckter / oder der mit einen Brand-Mahl gezeichnet iſt. Obiter hic addo, Nicanorem Grammaticum, eo, quod multa de interpunctionibus, & punctorum (poſituras & diſtinctiones Grammatici vocant) ratione differuerit, διὰ τὸ περὶ στιγμῶν πολυλογῆσαι, *Stigmatiam* fuiſſe dictum. Atque ita ſpecialiori illo ſenſu Petrus Gregorius Tholoſanus L. 31. cap. 35. n. 1. *ſtigmata* definit; quod *ſint notæ, quæ inuruntur delinquentibus, ut conſtet per iſta ſigna, eos reos fuiſſe criminum.* Ex dictis itaque facile patet, ſtigmata duplicis eſſe generis: quædam enim honoris, officii vel notitiæ; quædam ignominiæ cauſa inſiguntur atq; inuruntur. Hinc recte laudatus jam Gregorius loc. citat. *ſtigmata*, inquit: *per ſe ſignum referunt, quæ nec perpetuo ob crimina, ſed & ob alia judicanda inurebantur.* Qua de re in ſeqq. uberius diſſeremus. Porro & illud hic monere non abs re erit, quod ſtigmata vel proprie dicantur de illis notis, quæ in cute victuræ ſunt; vel improprie de illis, quæ delebiles cuti inunguntur, aut alia ratione corpori & veſtimentis annectuntur: de quibus vide infra §. IX. Reliquæ hujus vocabuli ſignificationes, ut quando *ſtigmata* à ſcriptoribus Eccleſiaſticis ponuntur pro præſtigiis Dæmonum & characteribus magicis, nihil ad nos pertinent. Quare eas miſſas facimus, & potius ad Synonymiam pergimus.

Homonymia

Definitio.

ſtigmata ſunt vel proprie vel improprie ſic dicta

§. III.

Synonymia. *Stigmata* variis nominibus aliis, tum in Jure noſtro, tum ab aliis bonæ notæ ſcriptoribus inſigniuntur. *Character*, dicuntur generaliori vocabulo in cap. 3. x. *de crim. falſi.* ubi vid. Gonzalez Tellez. *Corporalis macula* in l. 3. C. *de ſportul.* *Cicatrices* in l. 17. §. 1. *de Uſufr.* *Inſcriptio.* in l. 17. C. *de pœn.* *Veſtigia* vid. Ulpianus l. §. 11. *Notæ* Valer. Max. L. 6. c. 8. *Notæ & puncta* Plinius in Paneg. *Puncta ſignorum* Vegetius L. 1. c. 8. *Serviles literæ* Seneca L. 1. de Tranquill. *Signa fororum* Columella in Horat. & Scaliger. *ſigna fugarum.* *Notum fugitivorum epigramma* Petron. Arb. *Elogia* Sueton. in Calig. c. 24. f. ibique Caſaubon. *Symbolum* Suidas h. v. *Notæ Threjiciæ* Cicero L. 2. Of. fic. ita dictæ à Thracibus, apud quos nobilitatis erat inſigne, uti mox videbimus; ſed poſtmodum ob illorum perfidiam ad fugitivos translata appellatio hæc, & pro ſigno infamiæ & probri accepta. Qui ejusmodi ſtigmatis inuſti erant, ac cicatricibus deformati, *ſtigmatici*, *ſtigmatiæ*, *literati & ſubverbuſti* audiebant. Dionyſ. Gothofred. ad l. 17. §. 1. *ff. de uſufr. & l. 1. §. f. ff. de fugitiv.* &

de ſubverbuſto. Jac. Gothofred. ad l. 2. C. Theod. *de pœn.* Obiter hic de voce *ſubverbuſti*, cum ſit rari uſus, ut ſoliciti ſimus liceat. Feſtus *ſubverbuſtum* dici autumat, quaſi *verubus uſtum*, ſeu *ſub veru uſtum*; ſed hæc originatio longius mihi petita videtur. Rectius fortaſſe (licet *Henr. Salmuth ad Guid. Panciroll. Rer. deperditar. L. 2. tit. 2. p. m. 85* Feſti etymologiam arripiens diſſentiat) ſentit & exponit *Hadr. Junius*, & cum eo *Hadr. Turnebus L. 14. Adverſar. c. 1.* ſubverbuſtum dictum eſſe quaſi *ſub verberibus* uſtum. Atque hic cumprimis huc trahit illud Horatii L. 2. ſatyr. 7.

Uri virgis ferroque necari.

Qui idem Epod. Od. 4. dixerat:

Ibericis peruſte funibus latus.

Sed ad alia. Plauto in Caſina vocantur *inſignes literati*; Martiali ac Plinio

Plinio *ſcripti*; Propertio L. 4. *calati*; Juvenal. ſat. 14. *inſcripta ergaſtula*; Polluci L. 3. c. 8. στιγῶνες καὶ στιγματίαι; Ariſtophani in Avibus *Varii attagenes;* Cœlio L. 8. c. 31. *Iſtriani* v. §. VII. in fin. infra, & quæ ſunt plures denominationes, quæ hic adduci poſſent.

§. IV.

Cum §. II. ſtigmata alia *glorioſa*, quæ nominis amplificationem afferunt, alia *ignominioſa*, adeoque cum quadam famæ læſione conjuncta eſſe dixerimus; (De illis enim, quæ excepto homine, notitiæ cauſa variis rebus & pecudibus, de quorum ſignis & notis vid. H. Hugon. *de prima ſcribendi origine* c. 20. imprimebantur, quia à ſcopo noſtro prorſus ſunt aliena nihil attingere placet.) Nunc liceat illorum ex optimis Auctoribus quædam exempla proferre. Illuſtriſſima ſunt, licet non ex intentione infligentium, tamen ex Supremi Numinis piorum cultorum vera æſtimatione, quorum Apoſtolus meminit Galat. VI. 17. ubi ait: *Stigmata* Domini Jeſu in corpore meo porto: quæ qua ratione ipſi ſint inflicta, ipſe commemorat 2. Cor. XI. 24. 25. Stigmata illa dubio procul ſunt cicatrices & notæ verberum, quæ propter Chriſtum tum a Judæis tum ab Ethnicis fuerat perpeſſus. De his enim accipiendus eſt Pontius Diaconus in actis S. Cypriani, ibi: *Quis tot Confeſſores frontibus notarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos incentivo tubæ cæleſtis animaret.* Quod variis exemplis illuſtrat Theophilus tom. 14. tract. *de ſtigmatismo ſacro & prophano cap.* 6. Videlicet cum iſti, Judæi ſcil. & Ethnici, omnis generis cruciatibus torquerent Chriſtianos; hinc cum illis, tanquam cum hominibus ſervilis conditionis, religionis odio egerunt, & cumprimis frontes eorum crucis ſigno vel literis, imo & integris ſententiis inuſtis vehementer deturparunt. Quam injuriam deteſtatus Conſtantinus Imp. in l. 17. C. *de pœnis* ſanxit, ne quis amplius ullius criminis cauſa, in facie notaretur, ſed potius

Stigmata proprie ſic dicta ſunt vel glorioſa vel ignominioſa.

glorioſa.

Apoſtoli, Chriſtiani Veteres & Martyres.

tius in ſura & manu. Cedrenus tamen de Theophano & Theodoro, tale quid poſt tempora Conſtantini, Theopholi Iconoclaſtæ juſſu perpeſſos eſſe refert.

§. V.

Populus quidam in Africa.

Hæc ab hoſtibus Chriſtiani nominis inſcribebantur. Sed reperti ſunt antiquis temporibus, qui religionis cauſa ipſimet ſibi vel ſuis ſignum apponebant. Perhibent adhuc hodie montem Atlantem in Africa populos incolere, qui Chriſti nomen profitentur, & ex mera ſuperſtitione, cum craſſa ignorantia conjuncta, infantibus ſuis nuper natis in fronte ſignum crucis decuſſatæ, loco initiationis, ni fallor, imprimunt, uti refert Johann Friedrich Leutholff von Franckenberg in der Schaubühne der Welt/ P. 2. ſect. 2. de Turcarum Imperio p. 449. his verbis: Am Gebirge Attlas wohnet ein Volck / welches ihren Kindern † an ihre Stirne brennet; wiſſen aber aus Einfalt deßen Urſach ſelbſt nicht zugeben.

§. VI.

Diis Gentilium conſecrati.

Hos veri Dei cultores ſtigmate notatos excipiant Idololatræ. Diabolus enim κακόξηλος & Dei ſimia, nihil omiſit, quo mendaciis ſuis fucum obduceret, fidemque conciliaret. Hinc religioſi cultus pars apud Gentiles erat, ſi quis initiandus & Deo cuidam conſecrandus, membra ſua varie compungere patiebantur. Copioſe hæc Prudentius deſcribit, cujus pluſcula verba Periſtephanon. hymn. 14. v. 1059. ſeqq. ut apponamus, digna videntur.

Sunt ſacra, quando vosmet ipſi exciditis,
votivus ut cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,
ſectisque Matrem brachiis placat Deam.

Et paulo poſt:

Quid? cum ſacrandus accipit Sphragitidas?
acus minutas ingerunt fornacibus,

his

his membra pergunt urere, ut igniverint.
Quamcunque partem corporis fervens nota
ſtigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.
Functum deinde cum reliquit ſpiritus,
& ad ſepulchrum pompa fertur funeris,
partes per ipſas imprimuntur bracteæ,
inſignis auri lamina obducit cutem,
tegiturque metallo, quod peruſtum eſt ignibus.

Huc refer & illud, quod de ſacris Semiramidis in Syria tradit Lucianus in *Syria Dea*, homines ſacratos peragere ſacrificia, vulnerarique cubitibus &c. Illud cumprimis hic notatu dignum, quod idem ibidem perhibet, cum Aſſyrii filios ſuos ſacco incluſos ad aram adducerent, certis illos notis compungi omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice.

§. VII.

More Gentium etiam olim introductum fuit ſtigma, & grande decus in his notis repoſitum. Ex iis, qui nobilitatis cauſa punctis conſcribebantur, notiſſimi ſunt Thraces. De quibus locuples teſtis eſt Herodotus, L. 5. *punctas notis eſſe frontes*, inquiens, *nobile judicatur; non eſſe notatas punctis, ignobile.* Hinc notæ Thraciæ ſ. Threciæ in proverbio. Rhodig *lib. 7. Antiqu. lect. c. 31.* Sic & Ægyptii, Æthiopes, Syri, Britanni, Picti, Sarmatæ ac Daci hunc morem habebant, ut pulchritudinis perſuaſione ſtigmata corporibus infligerent. Et de his quidem notus eſt locus Plinii L. 22. c. 1. ſcribentis, barbarorum foeminas maresque apud Dacos & Sarmatas corpora ſua inſcribere, h. e. ſigna notasque ſuis corporibus imprimere, quo venuſtiores appareant. vid. Jac. Gothofred. ad Cod. Theod. *l. 2. de pœn.* qui fœtus etiam ſive partus, antequam adoleſcerent, notis compunctos fuiſſe addit. De Germano quodam populo notis ſe inſcribere ſolito refert Hœpping.

Thraces, Ægypti, Æthiopes, Syri, Britanni, Picti, Sarmatæ ac Daci.

Istriani. *de Jure insign. cap. 18.* & ab illo allegat. Avent. in Annalib. Bojor. lib. 1. De Istrianis vero legimus apud Cœlium L. 8. c. 31. illis more recepto, puncta inusta esse. Unde postea per contemtum infames punctisque scripti Istriani sunt vocati. v. H. Hugon. cap. 19.

Hispani Nobiles. Fuit insuper stigma Ordinis illustrioris in Hispania nota. Nobiles enim, quos alti sanguinis stemma non decorabat, *stigma auriculare* & *notam equestrem* acceperunt, qua suscepta aliud nomen assumere solebant. Hieron. Roman. *in Republ. mund.*

Equites Hierosolytani. Adhuc hodie Equestris Ordinis signum per stigmata indicari extra dubitationis aleam positum est. Scilicet Peregrinantium Nobilium quando Equites Hierosolymitani creantur, brachiis sinistris signum crucis sive potius quinque crucium insculpitur s. scarificatur, & postmodum cicatricibus seu sulcis ita scarificatis pulvis inspergitur pyrius, ut eo melius videri queat. Quæ dignitas olim magni propter religionis zelum habebatur, & nonnisi vere Nobilibus, qui hanc crucis formam suis insignibus postmodum inserebant, tribuebatur, quod tamen non æque amplius observari, immo Mercatores etiam, nunc ad illam posse adspirare modo præstiterint juramentum consuetum & nummorum debitam persolverint summam, mihi pro certo relatum est. Caute tamen hic dignoscendum, an genuina sint an spuria, cum & multi nequam homines sibi ipsis talia signa artificiose insculpentes Equitum Hierosolymitanorum Ordini se adscriptos profiteantur. Licet autem hæc adeo vera & nota sint, ut fere in omnium versentur ore, tamen nullum Autorem, qui singulis observatis circumstantiis plenius ea tractasset, temporis angustia excluſus vel invenire vel evolvere me potuisse, ingenue fateri cogor.

Persæ & Turcæ His nationibus recensitis tandem subjungere placet Persas & Turcas. In quibus hoc memorabile est, quod signo crucis in fronte non tam decoris quam pestis profligandæ causa olim fuerint usi. Cum enim

enim, referente Höppingio *de Jure Insignium c. 18. n. 248.* Chosroes de Persis rebellantibus illustrem victoriam obtinuisset, & Turcas captivos ad Mauritium Imperatorem Orientis dono misisset, Mauritius eos signo crucis in fronte notatos cernens, attonitus scisscitatus est, quam ob causam, quæ non colerent, signa circumferrent: Tum eos respondisse fertur; Persidem nuper gravi pestilentia laborasse, unde edoctos se a quodam Christiano, ut se tali stigmate præmunirent, quod experientia deinceps saluberrimum esse declaravit.

§. IIX.

Personæ quibus officii vel notitiæ causa signa imprimebantur, nunc recensendæ. In his primos nominamus Hebræorum servos: Apud illos enim, si Hebræus serviviſſet sex annis Hebræo, in septimo anno dimitti liber debebat. Quod si tamen nollet exire e Domo domini liber, tunc auris fibula perforabatur, uti latius legitur Exod. *21.* v. 6. Licet alias Jure divino stigmata Israëlitis penitus fuerint interdicta. vid. cap. 14. v. *1.* Deut. & c. *19.* v. 28, Levit. Proximos ab his appellamus Hydrophylaces. Videlicet aquarum publici custodes, & aquæ ductuum urbis regiæ, in manibus nomine Imperatoris notabantur, ut manifesti essent omnibus, & ita ab usu, cui deputabantur, non avellerentur, nec angariarum vel operarum nomine tenerentur, vid. omnino *l.* 10, *Cod. de aquæduct.* quæ stigmata tamen longe diversa a servorum stigmatibus fuerunt, utpote quorum στίγματα erant & atrociora & notabilora. In Fabricensibus quoque statutum ab Arcadio Cæsare, illorum brachiis stigma, h. e. notam publicam infigi *l.* 3. *C. de fabricens.* ut latitantes hoc modo saltem dignosci possent. In Tyronibus plane solenne fuisse, ut eorum brachia stigmate notarentur, Accursius notat. in *l. p. ff. ex quib. caus. maj.* Nota sunt hanc in rem duo Vegetii loca l. 1. c. 8. *sed non sta-*

Hebræorum servi.

Hydrophylaces s. Aquarii.

Fabricenses

Tyrones.

tim

tim punctis ſignorum ſcribendus eſt tyro dilectus, & l. 2. c. 5. *Nam victuris in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti jurare ſolent.* Cumprimis huc facit textus modo alleg. in *l.* 3. *C. de fabricenſ.* ubi ſtigmata Fabricenſium brachiis ad imitationem tyronum infligi jubentur. Cauſæ hujus ſcriptionis non aliæ afferuntur, quam, quo facilius apparerent & militiæ refugæ agnoſcerentur, neve publicis uſibus deſtinati ſubtraherentur; ut Viglius Zuichemius recte annotavit *ff. de milit. teſtam. in pr. n. 20.* & Claudius Coteræus de jure militari l. 1. c. 21. Effectus vero ejusdem erat, ut tyrones, publico ſtipendio conducti, diſcedere a militia non poſſent, niſi emeriti; adeo, ut nec favor religionis & monaſteriorum eos a militia liberarit. Hinc Gregorius epiſt. 2. mentionem facit Conſtitutionis a Mauritio latæ: *Ne quis manu ſignatus ante expletam militiam ad miniſteria migret.* Erant autem tyrones juniores milites, qui publicis ſtipendiis militari diſciplina quidem inſtituebantur & militiæ deſignati ad pugnam exercebantur, ſed tamen nondum in numeros relati erant, neque etiam militiæ privilegia habebant, uti ex *l. 42. ff. de teſtam. milit.* certum eſt, quæ tota huc apponi meretur: *Ex eo tempore quis jure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt, ante non. Proinde qui nondum in numeris ſunt, licet enim lecti tyrones ſint & publicis expenſis iter faciant, nondum milites ſunt; debent enim in numeros referri.* Cum enim Vett. Imperatores in eo ſemper toti fuerint, ut peritum & exercitatum militem haberent, cui ſoli, non vero etiam tyronibus, qui in numeros nondum relati erant, militaria privilegia concederent, conſtat ex adductis legis verbis, nondum *in numeros* dici *relatos* milites, cum delecti quidem ſunt, nec dum tamen in ſuos ordines pervenerunt: ſicut & per contrarium milites in numeris manere dicuntur, qui in ſuis ordinibus conſiſtunt *l. 4. ff. de milit. teſtam.* Joh. Coraſius l. 5. Miſcellan. c. 22.

Tyrones quid ſint?

§. IX.

§. IX.

Stigmatum improprie dictorum, quorum memini ſupra §. 2. in f. bina incidenter huc addam exempla. *Alterum* de militibus qui in humero ſignum album geſtabant, quod in Veteri Ceremoniali MS. (referente Carolo du Fresne in Gloſſario voce: Stigma) *Las* ſeu *Lemniſcus nodatus* vocatur. Qui enim miles cum balneorum ceremonia creatus fuerat a Principe, longiori tunica induebatur, eique lemniſcus albus ad ſiniſtrum humerum alligabatur; Et ce blan las, (verba ſunt Ceremonialis) il portera ſur tous ſes habilemens qu' il veſtira au long de cette journeé, tant qu' il ait gaigné honneur & renom d' armes, & qu' il ſoit recorde de ſi haut record comme de nobles Chevaliers, Eſcuiers, & Heraux d' armes, & qu' il ſoit renommée, de ſes fais d' armes, comme devant eſt dit, ou aucun haut Prince, ou tres noble Dame de pouvoir couper le las de l' eſpaule du Chevalier, en diſant, Sire, nous avons ouy tant de vray renom de votre honneur, que vous avez fait en diverſes parties, au tres grand honneur de Chevalerie, à vous meſmes, & à celuy qui vous a fait Chevalier, que droit veut que ce las vous ſoit ôtez. Ex quibus ſimul verbis apparet, vera eſſe, quæ Nicol. Vptonius l. 1. de milit. offic. c. 3. refert: *Milites qui creantur per balneum, portant de conſuetudine in ſiniſtro humero ſuum ſtigma militare album; quod quidem ſtigma dictus Tyro portabit, quousque fecerit aliquod notabile factum, niſi aliqua nobilis domina illud tollat, ut eſt conſuetudo Angliæ.* *Alterum* quod huc trahendum eſt exemplum, ſunt Britanni, de quibus tradit Herodianus L. 3. c. 14. quod videlicet ventrem ac cervicem ferro incingant, totumque corpus στίζωνται γραφαῖς ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσιν, pictura varia & formis omnifariam animalium notent. Quæ pingendi conſue-

Stigmata improprie ſic dicta.

tudo ſuras potiſſimnm & brachia, adhuc hodie Turcarum fœminis ſolennis eſt.

§. X.

Hæc de ſtigmatibus glorioſis & iis, quæ notitiæ cauſa imprimebantur; Sequuntur *ignominioſa*. Duriſſimam ſervorum apud Romanos fuiſſe conditionem, vel ex eo notum eſt, quod Dominis olim in ſervos jus vitæ ac necis competierit, teſte Juſtiniano in §. 1. *J. de his qui ſunt ſui l. alien. jur.* Poſſem itaque hic carnificinæ ſcenam aperire, ac famulos calceis appetitos, graphiis compunctos, confractis dentibus, oculis ſtilo erutis, gladio percuſſos, ancillas morſu dominarum cruentas, quæ Galeni verba ſunt, producere. Sed brevitatis cauſa, hæc indicaſſe ſufficiat. Vid. interim Laur. Pignon. de Servis p. 8. 9 ſeqq. Præſertim vero hæc inclementia in ſervis fugitivis eminuit, in quos e fuga retractos varia ſuppliciorum genera conſtituta. Ex illis nos præcipue notamus ſtigmata fronti inuſta. Mentio illorum fit creberrima apud Columellam, Juvenalem, Senecam, Petronium, Martialem, Apulejum, Claudianum, Lucianum, & quos non? Extant apud Auſonium bina epigrammata XV. & XVI. unde illud probari poteſt. Sic epigr. XV. ſcribit:

Tam ſegnis ſcriptor, quam lentus Pergame curſor
fugiſti, & primo captus es in ſtadio.
Ergo notas ſcripto toleraſti Pergame vultu,
& quas neglexit dextera frons patitur.

& Epigr. XVI.

Pergame non recte punitus, fronte ſubiſti
ſuplicium, lentæ quod meruere manus.

In Jure noſtro de his notabilis eſt Ulpiani tx. in *l. 1. §. f. ff. de fugit.* ibique Gothofr. Atque hujusmodi ſtigmatiæ & ſubverbuſti, ne manumiſſi quidem juſta libertate fruebantur, tantum-

tumque dedititii (qui tamen poſtea a Juſtin. Imp. in §. *ult. J. de Libertin. & l. un. C. de dedit. lib. toll.* Civibus Romanis parificati fuerunt) fiebant. Pignor. de ſervis. Cuellar. de manuiſſ. cap. 2. Olanus lib. 4. Forner. lib. 6. rer. quotid. c. 25. Joh. Bodinus de Republ. lib. cap. 5. Per quos Cajus intelligit eos, qui poſt admiſſa crimina ſuppliciis ſubditi, & publice pro criminibus cæſi ſunt : aut in quorum facie vel corpore, quæcunque indicia aut igne aut ferro impreſſa ſunt, ut deleri non poſſint. Cajus l. 1. c. 1. Sic & Ulp. tit. 1. §. 11. dedititiorum numero eſſe ait, qui pœna cauſa vincti ſunt à Domino, aut quibus veſtigia ſcripta fuerunt. Quibus adde quæ de Dedititiis ſcripſit Alciatus l. 1, parerg. c. 14 & 16. & Sylveſter Aldobrandus ad §. *libertinorum. Inſt. de libertin.* Et exinde eſt, quod nonnulli putent, frequenter ideo apud ICtos ſervos ſtychos dici. Petr- Grepor. L. 31. c. 35. n. 3.

§. XI.

Servorum fugitivorum aliæ pœnæ.

Atque hæc ſtigmatis pœna licet fugitivorum propria & ordinaria fuerat, diffitendum tamen non eſt, illos quandoque & pedum amputatione coerceri ſolitos fuiſſe, atque adeo qua parte peccaſſent, eadem mulctatos. *l. 3. C. de ſerv. fugit.* huicque ſubjuncta auth. *Sed nov. jure.* ibique Gothofred. Galenus lib. 6. de decret. Hipp. & Platon. ſcribit : *Dominos fugitivorum crura adurere, lacerare, furum manus, edacium ventrem ; garrulorum linguam torquere conſuevisſe.* Sicuti falſario inciſos digitorum nervos (quæ pœna de Jure Novellarum ſublata eſt, adeo, ut nulli Judici liceat in quocunque delicto *exarthrare*, quo verbo intelligitur inſciſio nervorum, vid. omnino *Nov. 134. c. 13.* ibique not. à Gothofred. aliisque) Alexandri decreto, Lampridius; Claudii, preciſas manus, Suetonius memorat : Qui idem autor, Galbam Numulario non ex fide verſanti pecunias, manus amputaſſe ait, menſæque ejus adfixiſſe. Licet alias Falſario ordinarie & ſecundum *Nov. 17. c. 8.* &

42. c.

42. c. 1. *in fine* una saltem manus abscindi debet, ex ratione in *Nov.* 134. c. 13. data: cum nemo ita damnari debeat, ut uterque pes vel utraque manus abscindatur. Neque his tamen finibus concluſum fuit ſupplicium fugitiorum. Dati inſuper non raro ſunt ad pugnam beſtiarum. Androclus apud Apionem ſ. Gellium l. 5. c. 14. ita de ſe ipſo ait, *ad dominum ex Africa deductus, is me ſtatim rei capitalis damnandum dandumque ad beſtias curavit.* Præterea fuerunt in ludum conjecti. Immo crux ipſa m. non infrequens illis poſita fuit. Val. Max. L. 2. c. 7. Cæterum cum hodie cum ſervis Romanis comparare multi ſoleant homines proprios ſ. adſcriptitios, die Leibeigenen Leüthe. vid. Mev. p. 3. d. 8. quos in Bohemia, Pomerania, & paſſim dari notum eſt, idcirco Gailius in Tract. de Arreſt. Imperii c. 8. n. 18. quod de ſervis fugitivis ſtigmate notandis in *l. 2, C. de ſerv. fugitiv.* & *l. 1. l. 2. l. 3. ff. eod.* dicitur, ad noſtros mores accommodat, putatque homines proprios aufugientes, præter caſtigationem talismodi ſtigmatis pœna affici non ſolum conſultum, ſed & ad coercendam eorum protervi-am neceſſarium eſſe, ut ubique locorum ea introducatur. De qua opinione quid ſit ſentiendum infra in Sect. poſter. diſpiciam.

§. XII.

Servi Piſtorii.

Huc m. referendi ſunt ſervi Piſtorii, (quorum Paullus in *l.* 18, *§. 1. ff. de inſtr. l. inſtrum. legat.* ad quam vid. Gothofr. mentionem facit,) qui ob fugam vel aliud quoddam crimen à Dominis in piſtrinum detruſi ſunt, ubi miſeram eorum conditionem augebant ſtigmata fronti ibidem inuſta. Illos Apulejus, Plautum imitatus, *literatos* vocat; h. e. cauterio notatos, quod literas aliaque ſigna fronti impreſſa gererent. Omnem illorum habitum ac ſordidam vivendi rationem graphice depingit laudatus Apulejus de Aſino aureo, ubi dicit: Dii boni, quales illic homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum ſciſſili centunculo ma-

magis inumbrati, quam obtecti, nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, & capillum semirasi & pedes annulati; cum lurore deformes, & fumosis tenebris vaporosæ caliginis palpebras adesi, atque adeo male luminati, & in modum pugilum, qui pulvisculo perspersi dimicant, farinulento cinere sordide candidati. Pistrinum a. locus erat, ubi servi inde pistorii dicti, non solum horrendum puniebantur, sed & ad labores stupendos concatenatosque ad mortem usque adigebantur. Illud Plautinus servus festivissima circumlocutione designat, cum ita dicit: Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant, apud fustitudinas ferricrepinas insulas, ubi viva hominum corpora mortui incursant boves. *Pistrinum quid?*

§. XIII.

Fugitivis hodie comparari posse Desertores, die Deserteurs, ausgerissene Soldaten oder Feldflüchtige/ nemo facile neget. Et in desertoribus pœnam stigmatis, & huic similem abscissionis aurium & nasi in viridi esse observantia testatur passim Editor Corporis Juris milit. in Annot. ad art. 46. Brandenburgisches Kriegs-Recht. Sicuti etiam a magni nominis viro me audivisse memini, in Gallia multos se Desertores vidisse in fronte signo lilii notatos. Quod & omnibus ad triremes damnatis præcipue Reformatis denen Hougenoten in Gallia lilio genis inusto speciali Regis mandato contingere solet, ut mihi similiter pro certo relatum est. Desertores a. infames fiunt, sie werden mit Schimpf und Unehren von Regiment abgewiesen/ sie werden als Scheine darvon gejagt/ & nunquam amplius in milites recipiuntur *l. 4. §. 6. ff. de re milit.* Burger. Observ. milit. 39. Cent. 1. immo ut delictum eorum atrox omnibus patefiat, stigmata præterea in fronte ipsis inu- *Desertores*

runtur, vel naſus & aures abſcinduntut. Quæ pœna an juſta ſit & de jure poſſit defendi? infra in Sect. poſt. dijudicandum erit.

§. XIV.

Servis fugitivis & Deſertoribus ſubjungimus illos, qui a regibus ſuis & principibus deſciſcebant. De Thebanis, cum a Græcis ad Perſarum Regem Xerxem deficerent, refert Herodotus L. 7. c. 233. hujus juſſu illorum maximam partem notis regiis compunctam fuiſſe a barbaris, qui à Duce Leontiade exordiebantur. Nec minus inclementer Athenienſium populus adverſus eos, quos a ductu auſpiciisque ſuis deficientes comperiſſet, ſe geſſit, ut ex Græcis hiſtoricis notum eſt. Æginetis pollices præſciderunt, ne haſtam amplius geſtare poſſent; Mitylenæorum omnem juventutem indiſcriminatim occiderunt; Samiorum frontibus Noctuam, Athenarum inſigne inſcripſerunt, teſte Ælian L. 2. Var. hiſtor. c. 9. ex quo Cœlius Rhodiginus in Lect. antiqu. L. 15. c. 27. repetiit. Hinc Ariſtophanes in Babyloniis populum Samiorum literatum nominavit, feſtiviſſimè alludens ad ſtigmata frontibus eorum inuſta; adeo ut vulgo jactatum ſit, Samiis neminem eſſe literatiorem. Ab Æliano diſſentit Plutarchus in eo, quod Samiis devictis Samænam inuſtam fuiſſe tradat; quam injuriam ulturi Samii victores, Athenienſibus Noctuam impreſſerunt. Locus Plutarchi ex Pericle p. m. 296. dignus eſt, qui hic legatur. *Porro Samii ut ignominiam acceptam Athenienſibus reponerent, Captivis in frontem inuſſere noctuam, ſicuti Athenienſes ipſos prius Samæna inuſta notaverant. Samæna navigii eſt genus, ita quidem incurvatum, ut proram habeat depreſſiorem, & concavior, itaque ventricoſa ſit, ut & maria trajicere poſſit, & agi celeriter; ſic dicta, quod in Samo primum viſa ſit, à Polycrate tyranno parata. Eas notas ferunt & Ariſtophanem per ambages indicaſſe hoc verſu,*

Quam literis Sami incolæ ſunt præditi?

Ha9

Has v. lites & dissensum componere nostrum non est. Quid captivis Armenis à Constantino factum fuerit vid. infra §. XXI. Hoc loco non possum non memorabile illud exemplum de servo notis compuncto & ab Histiæo ad Aristagoram misso, ut hunc ad defectionem solicitaret ex Herodoto L. 5. c. 35. recensere. *Aristagoras, quando quod Artapherni receperat præstare non poterat, nec exercitui stipendium exigenti dare, præsertim Megabate insimulante apud milites male affectos, verebaturque præterea ne regno Mileti fraudaretur, his de causis trepidus, de defectione cogitabat. Contigit enim è Susis ab Histiæo venire quendam compuncto notis capite, quibus Histiæus Aristagoram commonefaciebat ut ab rege deficeret. Id namque volens Histiæus Aristagoræ indicare, quia alia ratione non poterat, utpote itineribus custoditis, fidelissimo è servis caput erasit, literasque impressit, & hominem retinens quoad capilli renascerentur, ubi illi renati sunt, raptissime dimisit Miletum, nihil aliud mandans nisi ut quum Miletum perveniisset, juberet Aristagoram eraso suo capite inspicere. Ea autem stigmata significabant (ut à me superius dictum est) defectionem.*

§. XV.

Præter servos & captivos ii etiam, qui in aliquo scelere deprehensi fuere, notabantur in frontibus charactere quodam servili, quo rei crimen designaretur. Ab hujusmodi pœna nec Clerici perversi immunes fuere; Clerico enim circa sigillum Principis falsum committenti, si prius à suis ordinibus depositus & degradatus fuerit, character imprimitur, exiliique pœna imponitur c. 3. x. de *Crim. fals.* ibique Comment. de qua pœna an justa sit? in poster. sectione dispiciamus. Et jam apud Ethnicos in sacrilegos stigmatis pœna fuit constituta. Certe sacrilegos stigmate notari jussit Plato L. 8. de Legib. ibi: *Si quis sacrilegium commiserit, si quidem*

Clerici. Falsarii.

Sacrilegi.

servus aut hospes fuerit, in facie manibusque crimen inscriptus & flagellatus extra fines patrios projiciatur.

§. XVI.

Binas nuptias contrahentes.

De Jure Hispano quondam binas nuptias simul contrahentes, adeoque Polygami, candente ferro litera Q in facie notabantur l. 3. tit. 1. L. 5. Ordin. l. 5. tit. 1. lib. 1. Recopil. Ubi tamen Gonzalez Tellez ad c. 2. x. *de sponsa. duor.* literam P. pro litera Q. reponendam esse argutatur, existimans errore typographi has literas Q. & P. inter se permutatas fuisse; & Reges Hispanos statuisse, ut prima delicti, Polygamiæ puta, litera, quæ est τὸ P. frontibus reorum inscriberetur, ad imitationem L. Rhemniæ, quæ calumniatori literæ K. inustionem pœnæ loco sanxit, *l.* 1. §. 2. *ff. ad SCtum Turpil.* ibique Gothofred. Sunt tamen non leves Juris Hispanici Dd. uti Covarruvias, Didacus Perez., Gomezius & Vela, qui eadem ratione nitentes pro litera P. literam B. substituendam esse contendunt. Sed superflua & critica magis, quam necessaria est hæc eorum censura, quum lex illa in Hispania dudum exspirarit, ejusque criminis cognitio sacro Inquisitionis Collegio sit demandata, quod plerumque ad fustigationem, vel ad triremes per quinquennium reos damnat. Vid. ipse Gonzalez *l. cit.*

§. XVII.

Calumniatores.

Calumniatoribus ex Lege Rhemnia vel Memnia, criminis sui indicem literam K. (non vero literam C. uti vult Hotomannus, cum veteres Kalumnia non Calumnia scripsisse certum sit. vid. Grœnweg. *de LL. abrog. ad l 17. C de pœn.* & Gothofr. *ad l. 1. §. 2. ff. ad SCT. Turpil.*) inustam esse proxime diximus. Testem nunc producimus Ciceronem pro Roscio Amerino c. 20. ubi: *Cura quidem vobis nemo suffringet; sed si ego hos bene novi, literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehe-*

vehementer ad caput affigam, ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis. Hinc & Papinianus hominem integræ frontis opponit calumniæ damnato in *l. 13. ff. de Testib.* Confer. Turneb. *L. 8. c. 22.* & Lipsius *Orat. de Calumnia.* Amplius & ingratis frons deformabatur. Pœnam stigmatis militi naufrago ac hospiti ingrato Philippus Macedonum Rex inflixit, narrante uberius historiam Seneca *L. 4. de benef. c. 37.* ibi: *Rex ita exarsit, ut statim Pausaniæ mandaret, bona priori Domino restitueret; Cæterum improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet, ingratum hominem testantia.* Eandem historiam & apud Cœlium Rhodiginum *Antiq. lect. L. 6. c. 28.* legere licet. His præterea adjungendos esse merito existimo Executores litium, qui circa lites male versati sunt; quos itidem corporalibus maculis impositis signari jubet Imp. *in l. 3. C. de sportul.* de quibus vid. Gonzalez. *ad c. 3. x. de crim. falsi. 9.*

Ingrati.

Executores Litium.

§. XVIII.

Obtinuit etiam quondam, & hodienum Jure Saxonico obtinet hæc pœna in furibus, de quibus Juvenal. Satyr. 14.

Tunc felix, quoties aliquis tortore vocato
uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Furti.

In Saxonia plerumque illi, quos Magistratus virgis cædi aut deportari jubet, ferro candenti in maxillis notantur, quod hoc signo ab omnibus dignoscantur, & malitia eorum patefiat. Glossa des Sächs. Weichbilds art. 38. Ihr (der Diebe neml.) letzte pœn ist auch diese / wenn man sie mit handhafftiger That vor Gericht bringt / und mit schreien berüfft (als recht ist) und ist die Dieberey minder denn drey Schilling werth / man richt über in zu Haut und Haar / ut Landr. lib. 2. art. 13. vers. Geschicht. und dis ist so viel / daß man den zu der Stauren schlegt / und im ein Ohr abschneidt. Hat er des

Ohrs nicht / man brennet in durch die Backen / hat er der Zeichen vorhin zwey / man sendet in in das Elend / (das ist an den Galgen) und diese Zeichen giebt man den Dieben / die des Tages stehlen / und Beutelschneidern / man zeichnet sie aber aufwerts. Zum ersten durch die Backen / zu dem andern mal bey die Ohren / zum dritten mal ein Creutz durch die Stirne (und ja als offt zu den Staupen geschlagen) und man zeichnet sie darum / das sie die Leut kennen mögen / und sich desto bas vor in hüten / kommen sie aber des Dings in Gewohnheit / man giebt in hörere Zeichen / und man zeichnet sie mit dem Strang / und dies ist darum / das welche Bosheit gemeiner ist / die soll man desto sehrer straffen. ff. *de furtis l.* 1. Und darum henckt man die Dieb. *ut.* Landrecht *lib. 2. artic.* 13. *vers.* den Dieb soll man hencken. Und man begräbet sie selten / darum das man andere damit erschreckt. ut not. Glos. *Instit. de Jure Nat. Gen. & civ. §. plane ex his quædam.* Nec dissimilis olim ibidem pœna detondendi capillos, vel abscindendi aures invaluerat. Alebant Saxones comam, id quod inter summa corporis decora & ornamenta reponebant; ideoque cognitus satis erat, ignominiaque satis gravi afficiebtaur is, cui capilli resecarentur, Quilibet enim cnjus farinæ homo esset, exinde dijudicare poterat. Vnde etiam fluxit ille loquendi modus: Straffen / so an Haut und Haar gehen, de quo Glossa des Land-Rechts. *Lib. 2. art. 13. §. 6.* Ist eine Dieberey / welche bey Tage geschehen / geringer denn drey Schilling werth / so gehet sie zu Haut und Haar / das ist / man schlägt einen darum zur Staupen und windet ihm die Haar mit einem Kluppen oder Knebel aus dem Haupt. Hierbey sagen etliche / daß die

Zeit

Zeit / als das Recht sey gegeben worden / haben die Sachsen lange Haar getragen / und da hab man einen solchen Dieb pflegen zu beschehren / also daß man ihm kennen und sich vor ihm hüten möchte: Weil sie aber itziger Zeit nimmer solche lange Haar tragen / so soll man ihnen dafür die Ohren abschneiden / das man sie vor andern kennen möge. Cæterum pœnam hanc stigmatis hodie adhuc in usu esse, refert Zobelius in differentiis Jur. Civilis & Saxonici, verbis: daß nach Gelegenheit der Verbrechung solche Brandzeichen sollen gesprochen werden. per *cap. 3. X. de crim. falsi.* & Fachs. diff. 66. Reinhard. *p. 2. diff. 7.*

§. XIX.

Homicidarum pœnam quoque stigmata fuisse §. seq. dicemus. Hic Fericidarum derer Wildprets-Diebe brevem mentionem ut injiciamus operæ pretium erit, quos quippe hodienum stigmate puniri docet Wehnerus *in Observat. Pract.* & Besoldus *in contin. Thes. Pract. voce:* Brandmahl. Licet non negem exemplum hujuscemodi stigmatis pœnæ in fericidis mihi nullum constare, bene a gladii pœnam hoc in delicto & multo esse communiorem & multo usitatiorem; quandoque etiam eam, daß ein Mensch lebendig auff den Hirsch geschmiedet werde; quæ pœna tanquam horrenda & neque civilibus neque Divinis Legibus unquam conformis, haud immerito a plerisque improbatur. Magos item & Lamias à Patrono suo diabolo stigmate notari, multorum firma est opinio. De qua quid sentiendum infra in Sect. posterioris Q. Q. videbimus.

Homicidæ. Fericidæ.

Magi. Lamiæ.

§. XX.

Character qualis inuratur facinerosis nunc perpendendum venit. Serviles notæ triplicis fere generis fuere; nimirum vel *puncta*

Inuruntur (1) vel literæ.

puncta, vel *signa* sive imagines, vel *literæ*. Literæ pro criminum varietate variæ erant; prima enim delicti litera communiter inuri solitum erat. Sic Furi literam F. impressam fuisse, Pancirollus tradit, quæ eadem litera, secundum jus commune & Falsarii est. Huic autem secundum consuetudinem & Praxin in Francia receptam lilium inuritur P. Gregor. *lib. 36. Syntag. cap. 5. n. 7.* & Petr. Rebuff, *in l. hominis 152. versu: in facie ff. de V. S. & ad Const. Reg. tract. de lit. obligat. art. 1. Gl. 6. n. 4. & seq.* Cete. rum illud hic quoque noto, non ubique locorum literam furum fuisse τὸ F. sed nonnullis in locis τὸ T. gerere istos debuisse, uti ex Luciano notum est. Et ex Polydoro Virgilio L. 26. hist. Anglic. constat, ab Henrico VII. esse statutum, ut furibus (qui *Theefe* vocantur) T. inureretur in palma sinistræ manus sub pollice: homicidis vero (quos appellant *Murdure*, vel Muntre) M. quam consuetudinem docet à Gallis esse desumtam. Servos item Fugitivos litera F. vel Φ. in fronte notatos fuisse, ex antiquitate refert Pignorius *de Servis p. 14.* Porro Delatoribus litera D. Calumniatoribus litera K. vid. §. XVII. supra, Polygamis in Hispania litera P. vel Q. *vid.* §. XVI. supra, inscribebantur.

§. XXI.

Interdum integræ sententiæ.

Nonnunquam non unica tantum litera, sed integræ sententiæ in facie efformabantur. Cedrenus de Constantino narrat, eum devictis Armeniacis, hunc titulum inscribi jussisse: Ἀρμενιακὸς ἐπίβουλος. Sic idem Cedrenus & Zonaras *Cap. 3. Annal.* referente Baronio *in notis ad martyrolog.* d. 22. Decembr. annotarunt, duos monachos, Theophanum, & Theodorum, (quod liberius Theophilum Imp. monuissent) epigrammate duodecim versuum conscriptos fuisse. Add. Osterman. *de Stigmat. sect. 4 vers. 8.* Ex quibus liquet, id quod & Petronius disertis verbis affirmat, per totum vultum versus fuisse perscriptos. Ita n[illegible]:

Imple-

implevit Eumolpus frontem utriusque (Eucolpii & Gytonis) *ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Erat id epigramma forte hujusmodi, inquit Lipsius: *Cave a Fugitivo: Lib. 2. Elect. cap. 15.* Cui assentitur Taubmannus ad Plauti *Casin. act. 2. scen. 6.* Sed unde hæc hauserint, non addunt. Pignorius sæpe laudatus eadem verba fugitivorum frontibus inusta putat, quæ in eorum collaria, & æreas lamellas incisa erant, quarum unam ipse Pignorius Romæ se vidisse ait, hac inscriptione: TENE ME, QVIA FVGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFACIO LINARIO. Denique & Aquarios nomine Imperatoris fuisse inscriptos supra §. VIII. diximus. Ambrosius de obitu Valentiniani dicit: *Charactere Domini inscribuntur & servuli, & nomine Imperatoris signantur milites.* Et quidem militum manibus notas nominis Imperatorii impressas fuisse *ex titt. Cod. de Aquæduct. & de Fabricens.* probat. *J. Lipsius de milit. Roman. L. 1. C. ult.*

§. XXII.

Signa quæ imprimebantur, varia erant. Athenienses Samiis captivis Samænam, hos illis Noctuam inusisse, supra §. XIV. vidimus. Christianos crucis signum in fronte inustum gessisse, refert Tertull. *L. 2. ad Uxor. Cyprian. contra Judæos c. 21. vide supra §. IV. sect. priori.* Et Rex Ægyptiorum Ptolomæus Philopater, cum decrevisset Judaicam gentem publica notare ignominia, Macab. *L. 3. c. 2. v. 26* mandavit eorum, qui nomina in censu fuerunt professi, corporibus pro stigmate *Insigne Bachi, folium hederæ* inuri *d. c. 2. v. 29.* Quandoque Equi signum imprimebatur, Plutarchus in Nicia. It. Vulpis aut Simiæ typus. *Pignor. de servis. p. 20.* Nec minus hodie pro diversitate delicti & consuetudine cujusque loci variant. Sic Grœnvvegan *ad l. 17. cap. de pœn.* in regionibus Belgicis obtinere ait, ut cujusve civitatis insigne, non in fronte

quidem, ſed in rei tergo aut manu inuri ſoleat; niſi pœna talionis aliud exigat; atque ita quendam, qui dedita opera alicujus faciei vulnus inflixerat, poſt publicam fuſtigationem ſupplicii ſimilitudinem ſubiiſſe ex ſententia Scabinorum Delphenſium lata 20. Dec. 1628. refert cit. loco. Porro ſicuti hodie in Gallia frontibus reorum lilium, ſic in quibusdam Germaniæ locis, ſimili modo cujusque Domini Territorialis inſigne, vel etiam patibulum, rota, gladius aut virga inuritur. Tertium notarum genus, erant PUNCTA. De quibus cum frequentiſſima fuerint, & ſtigmata ſpeciali hoc vocabulo indicata, nihil dico.

(3) vel puncta.

§. XXIII.

Quomodo ſtigmata obvelentur

Illud tamen hic monuiſſe, non alienum erit, ſervos facie ita deformatos, non ſolum frontem capillo obvelaſſe, id quod Athenæus *L. VI. cap.* 2. ex Diphilo hominem ſine nomine, qui comam Deo ſe alere ajebat, inſectante, refert his verb.

Verum hic quidem eſt omnium ſceleſtiſſimus
qui primum alere ſe comam ait
Deo ſacram: Non ea tamen cauſa eſt, ſed quod
inuſtam punctis frontem capillis obvelat.

Et Barclajus in Euphorm. Satyric. part. *I.* p. m. 114. *Cogitabam fronti literas eſſe, quas crinis utcunque celabat, velo ut in obvios nec cogitantes fideli, ita in curioſos & ſcrutantes imbecillo*: ſed & ſpleniis obtexiſſe, de quibus celebris eſt locus apud Martialem *L.* 2. *Epigr.* 29. Cum enim Martialis, neſcio quem liberum ſe & fortunatum mentientem, carmine inſectaretur, Ruffum monuit, ut perſonam fronti detraheret; latitare enim ſub ea ſervum, eumque inſcriptum, & pro nequitia literatum; Hujus porro frontem numeroſis ſpleniis inſignem ut reſpiciat hortatur, concluditque,

Ignoras qui ſit? ſplenia tolle, leges.

Ho-

Hodie ulterius progreſſam eſſe hominum ſagacitatem perhibent. Volunt namque iſtiusmodi furciferi, nota publica ſignati, ut deformata illa cutis pars reſcindatur, & vulnus carne gallinacea obducatur, Sie laſſen das Fleiſch von einem Hun in die Wunden heilen/ vel a carnifice vel ab alio impetrare.

§. XXIV.

Reſtat ut videamus, quomodo, & in qua corporis parte ſtigmata inurantur. Illud fiebat candenti ferri lamina, quam Palladius & Hippocrates καυτῆρα appellant, Lucianus & Plutarchus καυτήριον. Unde Juvenalis: Quomodo inurantur?

Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Et Gunth. Ligur. *Lib. 5. v. 526.*

Armiger exuſta candenti fronte metallo
Detonſaque coma &c.

Porro & acta Lindav. *pag. 827. Ferro candenti bene caraxetur, h. e. notetur, ſtigmatizetur.* Poſt inuſtionem vero atramentum ſubinde cauſticis ſulcis infundebatur, ut liquidius cauſa notæ legi & cognoſci poſſit. Ita apud Zonaram *ſupra cit. loc.* monachis illis non ſolum Jambi inuſti, ſed & atramentum in notas infuſum eſt. Pulcherrime modum inurendi ſtigmata nobilibus Tracibus, quorum ſupra memini §. VII. deſcribit Arniſæus *Lib. 1. Polit. c. 5. ſect. 10. num. 28.* dum inquit: Hic opifex minutis acus punctis expreſſos nativi graminis ſuccos includebat, ut hæc ad ſui ſpecimen cicatrices ferat pictis artubus maculoſa nobilitas. Quomodo Equitum Hieroſolymitanorum brachiis imprimantur ſupra, d. §. VII. in fin. vidimus. Quali autem modo artificioſiſſimo & curioſitatis pleno ſteganographicum arcanum (quo duo Amici toto orbe ſejuncti omnia animi ſenſa celeriter plene & plane invicem communicare poſſunt) ſtigmatibus brachiis inſculptis & ſulcis utriusque Amici ſanguine immixto, perficiatur, quia extra ſco-

pum noſtrum eſt, hic recenſere ſuperſedeo, & potius L. B. ad magni quondam Polyhiſtoris B. Wagenſeilii *Exercit. 6.* remitto, qui ex profeſſo *Exerc. 2.* hoc fuſe, accurate & ingenioſiſſime pertractavit. Illud interim, ut in viam è diverticulo redeamus, in modo inurendi adhuc monere fas erit, quod nonnunquam cuti & carni alte imprimebatur, ut ſanguis flueret; nonnunquam vero character non ita profunde imponebatur, ut ſanguinem eliceret, ſed cutis ſuperficies tantum deformabatur, idque ſemper ſecundum atrocitatem delicti, ut notat Gloſſa *ad c. 3. x. de Crim. falſ.* verbo: *characterem.*

§. XXV.

In qua parte corporis.

Qua parte corporis inurantur, ex dictis hucusque conſtare poterit. Videlicet in fronte & facie, in cervice, in tergo, in maxillis, in humero ſiniſtro, uti ex Carolo du Freſne Gloſſar. voce *ſtigma* conſtat, in mammis, ſub polluce, *in* brachiis, quod fiebat Fabricenſibus *l. 3. C. de Fabricenſ.* quia hoc membro potiſſimum uſus in fabrica armorum, in manibus, ubi milites ſcribebantut. teſte *Aëtio L. 8. cap. 12. Stigmata vocant inſcriptos in facie vel alia corporis parte characteres, quales & militum manibus inſcribuntur*, οἷα (στίγματα) τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσὶ. In ſuris, quod in ſpecie *in l. 17. C. de pœn.* indicatur, & in omnibus denique corporis partibus ad inurendum aptis. Höpping. *de Jure inſign. c. 18. n. 239.*

SECTIO

SECTIO POSTERIOR

Proponens

varias circa Stigmata quæstiones.

Qu. I.

NUnc ordo postulat, ut quæstiones, quæ circa hæc stigmata & stigmaticos moveri poterunt, excutiamus. Quæritur igitur primo: An stigmata fronti cauterio imprimere sit licitum, & de Jure defendi possit? Dd. in diversas abeunt partes. Qui negativam defendunt, nituntur. *l. 17. C. de pœnis*, ubi: *Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribatur, cum & in manibus & in suris possit pœna damnationis una inscriptione comprehendi:* addita ratione: *quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minime maculetur.* Hujus legis, & Glossæ, quæ in fine ad eam: *Non esse*, inquit, *quem bullandum in fronte*, (cui & Gloss. *c. 1. vers. ipso facto extravag. de sepultur.* assentit) auctoritate adductus cum Wesenbeccio ad *Tit. de pœnis n. 7.* Mynsinger. *Cent. 2. Obs. 46.* concludit, hanc pœnam illicitam esse, nec observandam, etiamsi per statutum imponatur, quem sequitur Marant. *in Specul. part. 4. dist. 2. judic. num. 8. & 9.* imo & statutum prorsus non valere, quod talem pœnam infligat, tenet Alex. *in addit. ad Barthol. in leg. 44. ff. de religios.* Contrarium vero asserit, & pœnam inurendi in fronte stigmatis licitam esse communis Dd. sententia statuit. Ad hunc itaque dissensum tollendum ante omnia cit. legis tenorem rectius percipiamus oportet. Vbi ab initio statim videndum, quid Imperato-

rem ad legem hanc ſanciendum adduxerit. Sane Legis divinæ *Deut.* 14. *v.* 1. & *Levit.* 19. *v.* 28. reverentia, qua Hebræi in univerſum prohibentur ullam corporis partem notare, eum movere nec poterat nec debebat; ea enim lex ad damnatos ſcelerum non pertinet. vid. Mathæ. *de Crim.* Hinc Salmuth. *ad Guidon. Panciroll. rer. memorab. & deperditar.* Conſtantinum ideo eam dediſſe, putat, quia caput ſive facies principale & potiſſimum hominis membrum eſt, unde cujusque imago cognoſcatur *l.* 44. *ff. de relig. & ſumt. funer.* ut merito gravior injuria æſtimari debeat, ſi quis facie, quam alia corporis parte fuerit notatus *l.* 16. §. *qualitate ff. de pœnis* §. *atrox. Inſt. de Injur.* Alii, quos inter & Gonzalez Tellez, cauſam impulſivam promulgationis hujus legis fuiſſe autumant Oſium, Cordubenſem Epiſcopum, quem cum in Synodo Nicæna Conſtantinus ſtigmatibus deformatum vidiſſet, ſtatim conſtitutionem hanc edidiſſe fertur, uti refert Nicephorus L. 8. *Hiſtor. Eccl. cap.* 14. Propterea Grœnewegen ad *d. l.* 17. *C. de pœnis*, quod ratio legis appoſita minime ſit adæquata, aliam, & ut ſcribit meliorem hujus prohibitionis rationem excogitavit, ne ſcil. ſtigmatibus maculatæ faciei deformitas obviis forte & maxime prægnantibus horrorem incuteret, & immaturo partui officeret. Deinde curatius expendendum, cur Conſtantinus dixerit, faciem hominis ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſſe figuratam. An quod os homini ſublime ſit, (ut inquit Matthæus de Crim.) & erecta ad cœlum ferat lumina, cum beſtiæ terras pronæ ſpectent? An quod ſedes animæ, divinæ iſtius particulæ præcipua, caput, interpres ejusdem oculi & vultus? An quod filius Dei unigenitus faciem hominis & corpus aſſumſerit, latueritque ſub humana ſpecie cœleſtis pulchritudo? Nihil horum eſt, quod ad unguem ſatisfaciat: Similitudo enim cœleſtis pulchritudinis non in corpore, ſed in anima reſidet. Etiamſi enim dicatur

homo

homo a Deo creatus ad ejus ſimilitudinem *Geneſ. I.* id tamen non ſecundum lineamenta corporis & formam externam, (id quod Anthropomorphitæ voluerunt hæretici, ſtatuentes, Deum per omnia homini eſſe ſimilem, vel Deum ad ſimilitudinem hominis habere membra humana & facultates humanas) ſed ſecundum animæ qualitatem & formam internam intelligendum. Adeoque hæc hominis cum Deo ſimilitudo conſiſtit in interna pulchritudine ſive conformatione virium animæ cum Deo & ejus lege; in juſtitia & vera ſanctimonia *Coloſſ. III. 10. Epheſ. IV. 24.* nec non in Imperio in omnes creaturas *Geneſ. I. 26.* ſcilicet cum omnibus creaturis præeſt, quemadmodum Deus omnibus dominatur vid. D. Ambroſ. in *Inſtit. Virg. cap. 3.* verbis *ad imaginem Dei interior eſt homo.* Euchar. in *Gen. l. 1. cap.* 8. ubi inquit: *in interiore homine eſt Conditoris ſui imago: imago in immortalitate: Similitudo in moribus.* Caſſid. *in Pſalm. 38.* Beda *in Gen. cap.* 1. & *in Job. lib. 3. cap.* 7. Calvin. *Inſtit. l. 1. c. 15. n. 3. & ſeqq.* Pet. Martyr. *Loc. commun. loc.* 7. *de creatura homin.* Steph. Szegedin *Loc. commun. de imag. Dei* Ameſ. *medul. Theol. l.* 1. *c. 8. n. 46. & ſeqq.* Quibus adde quæ dicit Bajard. *in addit. ad Clar. §. fin. qu. 70. n.* 1. 2. & Matthæ. *de Crim. l. 48. tit. 18. c.* 1. *n. 11.* Si enim ſecundum formam externam, hominem ad Dei imaginem fuiſſe creatum aſſerere vellemus, ſequeretur, Deum tot tamque variis formis eſſe præditum, quot ſunt homines, quorum neuter alteri ſecundum lineamenta ſimilis eſt. Adhæc, quod omnes pene ſententiæ negativæ nervos incidit, Juſtinianus Imp. in *Nov. 5. princ.* textum ſacrum *Gen. I.* de imagine interna interpretatur. Cui aſſentiunt omnes omnino Theologi, qui videantur. Ex JCtis conſentiunt Borell. *c.* 8. *n. 448.* Dalnerus *de Jure hom. part. 5. n. 9.* & ibi magno numero citati.

Ex his itaque firmiter concludimus cauſam, propter quam ſtigmata

mata inurere prohibitum, adeoque etiam legem huic rationi ſuperſtructam plane inadæquatam, pœnam vero ſtigmatis licitam, Imp. vero Conſtantinum hic humani quid paſſum eſſe; nec quenquam Legislatorum in Imperio aliisve Rebuspublicis ad obſervantiam hujus legis adſtringi. Atque in eo conſentientem præter innumeros alios habemus Rittershuſium *in differ. J. Civ. & Can. p. 462.* Stigmatis autem pœna (1) alias neque juri Divino vid. *Exod. 21. v. 24. & Levit. 24. v. 19. 20.* ubi effoſſio oculi permittitur, (2) neque Juri Civili eſt contraria *l. 1. §. fin. ff. de fugit. l. locum 17. §. 1. in fin. ff. de Uſufr.* Cajus *lib. 1. Inſtit. tit. 1.* Imo (3) ſine diſtinctione permittitur Jure Canonico *c. 3. X. de crim. falſ.* vid. Dalner. *de J. H. p. 5. n. 10.* Amplius (4) & ſecundum Conſuetudinem Germaniæ, & Praxin Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ ſecus obſervari *l. 17. de pœnis* facineroſosque, in ſpecie deſertores, fericidas, fures in Saxon. aliosque plures, in hunc modum punitos eſſe novimus v. Brandenburg. Kriegs-Recht *p. m. 625.* Wehner. & Beſold. *Pr. Obſ. voce* Brandmal. Reinh. *diff. 66.* Fachſ. *p. 2. diff. 7* Matth. Weſenb. *comm. digeſt. tit. de pœn. n. 7.* Jul. Clar. *qu. 70.* & ſexcentos alios.

Qu. II.

Stigmata hominis faciei ob facinora recte & de jure inuri poſſe, ex hactenus dictis ſatis ſuperque certum eſt. Nunc quæſtio, ab iis, qui *l. 17. C. de pœn.* vim obligandi hodie etiam adhuc habere contendunt, formari ſolet: Utrum non diſpoſitio legis in fœminis ceſſet? Cum nonnulli Scriptorum autument, fœminam non æque ac maſculum ad Dei imaginem eſſe conditam. vid. Andr. Liban. *de univerſ. & orig. rer. lib. 7.* Cujacius certe & aliqui eum ſecuti eas ex numero hominum plane ſublatas volunt, *l. 38. §. 5. ff. de pœn.* quorum tamen nugas alibi ſatis refutatas videre eſt. Hac vice de imagine Dei videamus. Argumenta

quæ

quæ quibusdam anſam dederunt contrarium ſtatuendi, extant *Gen. 1. verſ. 26. & ſeq.* ibi: *creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum:* quæ verba de ſolo maſculo intelligi volunt, & *I. Cor.* 11. *v. 7.* item *c. 33. qu. 5. can. hæc imago*, 13. *& c. 33. qu. 5. can. mulier. 19.* ubi expreſſe dicitur mulierem non eſſe factam ad ſimilitudinem Dei. Sed ſalva res eſt. Fœminæ æque ac mares ad ſimilitudinem & imaginem Dei creatæ ſunt: quod tamen ad text. Gen. I. v. 26. & ſeq. attinet, ſtatim ſubjungitur, *maſculum & fœminum creavit*. Deinde Gen. 2. verſ. 18. ipſe Deus dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Certe Ambroſius in *exhortat. ad Virg.* ſcribit: *ſcire debet, ſive vir, ſive mulier, quia ad imaginem Dei eſt & ſimilitudinem.* Cum quo concordant omnes omnino Theologi, quos ad cit. loca ſacra vide. Ex quibus ſatis luculenter patet, *l. 17. C. de pœn.* ex mente Imp. etiam fœminas tangere: ſed de his plura dicere ſuperſedeo; quoniam enim legis hujus nulla amplius hodie eſt obſervantia, uti in priori quæſtione dictum, idcirco nullum eſt dubium, quin pœna ſtigmatis in fœminis æque ac maribus locum inveniat.

Qu. III.

Ob analogiam ſtigmatum ſtatim ſubjungenda venit: An ſcilicet in deſertoribus & militibus fugitivis abſciſſio naſi & aurium ſit licita? Negat cum aliis Joſephus Burger, *Cent. 2. Obſ. 88.* ac de ſe teſtatur. quod tanquam Auditor oder Regiments Schultheiß nunquam in hanc pœnam toti juri diſſentaneam conſenſerit, ſed ſemper ſuos officiales judicio militari aſſidentes, eo diſpoſuerit, ut aliam aliquam pœnam magis ſanam ac rationabilem elegerint; quoniam videlicet deteſtabile admodum ſit animadverſionis genus, naſum, auresque abſcindi, & per carnificem publico in loco affigi. Fundamentum hujus aſſrrtionis negativæ po-

nunt in *l. 17. C. de pœn.* à minori ad majus ita inferentes: Si ſtigma in fronte prohibitum eſt inurere, ne facies hominis maculetur, multo magis abſciſſio naſi auriumque, quæ faciem non tam fœde maculat quam deteſtabiliter mutilat, prohibita cenſetur. Enimvero affirmativa mihi probabilior videtur. Cum (1) illa lex jam in prima qu. ſit examinata, ejusque appoſita ratio dudum à Doctoribus exploſa, ideo qua ratione hanc pœnam tollere queat, non video. Deinde quod (2) magis eſt, ſi excœcatio *Exod. 21. v. 24. Levit. c. 24. v. 19. 20.* admittitur, certe argumento hor. locor. & abſciſſio naſi & aurium non prohibita dicenda. Ut (3) nihil dicam de obſervantia hodierna contraria in Germania, Gallia &c. v. *Corpus Juris milit.* paſſim & Gloſſ. des Sächſ. Landrechts *Lib. 2. art. 13. §. 6.* quæ hanc pœnam expreſſe dictitat. Ad hæc (4) ut alii deterreantur, ad exemplum, cumprimis in rebus militaribus, multa permittuntur, quæ jure ordinario duriora habentur. vid. Obrecht. *Diſp. de diſciplina militari* à theſ. *1075. usque th. 1094.* ubi varias deſertorum pœnas enumerat. & Cujac. *ad l. fin. C. de deſertor.* Sic Ayala *lib. 3. de Jure & offic. bellic.* memorat ex Vulcat. Gallican. cap. 4. quod Avidius Caſſius multis deſertoribus manus exciderit, aliis crura ac poplites inciderit, dicens: majus exemplum eſſe viventis miſerabiliter criminoſi, quam occiſi. Quid? quod & malitia hominis ſtudio & proterve peccantis membrorum mutilationem, quam ipſius vitæ amiſſionem, duriorem pœnam reputet. Notabile non minus quam recens exemplum eſt, quod cum coram ſummo quondam militiæ Præfecto, Generali Campi Marechallo Comite de Thungen, aliquot milites, qui ſigna nefarie deſeruerant, ſe defenderent, & unus eorum hanc delicti ſui commiſſi rationem & excuſationem afferret: ſe ſcire pœnam laquei in ejusmodi delinquentes conſtitutam eſſe; ideo tædio vitæ ſe deſeruiſſe ſigna, & hanc ſibi irrogari quam maxime optare. Huic vero

vero Campi Mareſchallus omnium elogio major, ne voti compos fieret nefarius iſte homo, omniumq; ludibrio vitam miſeram ulterius produceret, naſum auresq; amputari juſſit. Coronidis loco hic moneo, etiam olim hanc pœnam obſervatam fuiſſe, Leonemq; Imp. jam adulteris naſum præcidi ſanxiſſe in Nov. 32. Imo hanc pœnam etiam jam Ægyptiorum lege in mulieres ſolas conſtitutam, apud Diodor. Siculum lib. 2. *Bibliothec.* extat. Lepidum huc transferri Martialis meretur epigramma, quo deridetur, qui uxoris ſuæ mœcho nares abſciderat, qua tamen corporis parte nihil fuerat peccatum:

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Non hac peccatum eſt parte, marite, tibi.
Stulte, quid egiſti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cum ſit ſalva ſui mentula Deiphobi.

Qu. IV.

An hac ſtigmatis pœna etiam hodie homines proprii temerarie fugientes, ſint afficiendi? Gailium *l. 1. l. 2. l. 3. ff. & l. 2. C. de fugitiv.* ductum fuiſſe affirmative decidendi quæſtionem hanc, ſupra §. *X. in fin. ſect. prior.* diximus. Cujus verba in Tr. de Arreſt. Imp. *c. 8. n. 18.* huc non poſſum non apponere. *Quandoque*, inquit, *hoc* (quod nempe anfugere ſoleant) *malitioſe, non Dominorum ſævitia, aut intolerabili eorum imperio, vel loci ſterilitate, ſed potius inobedientia, & vini inopia fieri ſolet. Sicut multos vidi ex Suevia, agro frumenti fertiliſſimo in Auſtriam vini feraciſſimam, & rerum omnium copia abundantem, profugiſſe, & ibidem inter mercenarios, in popinis, tabernis, vinariis quotidie otioſe converſatos fuiſſe, non neceſſitati, ſed deſidiæ & ignaviæ ſuæ conſulentes, digni ut à Præſide provinciæ* vom Statthalter/ *ex officio caſtigentur, & ignominioſe etiam cum notis publicis, & ſtigmate,* Brandzeichen/ *dimittantur, ut ab aliis cognoſcantur, & ipſis ſint exemplo & terrori per text. in l. 2. C. de ſerv. fugitiv. & in l. 1. & in l. 2. & L. Divus Pius ff. eod. tit.* Hæc ille. Cui tantæ Autoritatis

viro, præcipue ſi circumſtantiæ ita ſint comparatæ, ut tanta reus affici pœna dignus reputetur, merito calculum adjicimus. Licet non negem, arbitrariam hic alias ſolummodo pœnam obtinere, cum nulla certe vel ordinaria hodie lege quadam publica ſit ſtatuta.

Qu. V.

Annon pœna in Clericos falſarios *c. 3. X. de Crim. falſi* conſtituta, juſto ſit rigidior? Negative decidenda erit. Etiamſi enim ad memorabile illud cap. 3. Gonzalez Tellez rationes dubitandi tres apponat, dicatque (1) non recte in præſenti pro uno delicto, videlicet falſitatis, plures pœnas, degradationem, inuſtionem & exilium, imponi; ſicuti enim Dominus noſter nunquam vindicavit bis id ipſum, ita nec eccleſia pro uno reatu plures impoſuit pœnas *c. 24. Apoſtol.* c. 39. §. *His. de pœnit. diſt.* 3. (2) pœnam hanc inuſtionis ſive impreſſionis characteris ſanguinis effuſionem continere contra *cap. 9. X. Ne Cler. vel Monachi &c. cap. 4. X. de Raptor. & can. 30. cauſ. 23. qu. 8.* (3) eam eſſe contra *l. 17. C. de pœnis* quæ ſtigmate maculari faciem hominis expreſſe prohiberet, (4) obſtare huic *cap. 3. de Crim. falſ. cap. 7, eod.* ubi Innoc. III. nullam pœnam characteris impreſſionis meminit, ſed ſtatuit, Clericos falſum committentes circa literas Apoſtolicas, à ſuis ordinibus eſſe degradandos, & judici ſeculari tradendos, ut ab eo debitis afficiantur pœnis. Attamen reſpondetur ad (1) dubitandi rationem, *bis non eſſe vindicandum unum delictum*: hoc procedere quando una pœna ſufficiens eſt ad puniendum delictum, alias ob ejus gravitatem plures injungi ſolent, uti *in cap. 5. §. fin. in fin. ut lit. non conteſt. cap. 1. de calumniat. cap. 4.* de *Raptoribus*. Inde, præcipue cum falſi crimen inter graviora numeretur, *l. 3. §. 1. ff. de Decur.* haud mirum, quod propter ſceleris gravitatem Clericus circa ſigillum Principis falſarius variis coerceatur

pœnis

pœnis. Ad *(2)* regeritur, quod in Clerico character non ita profunde imponi debeat, ut ſanguis eliciatur, ſed tantum ut cutis deformetur in ſignum tanti criminis, *(vid ſupra §. 24. ſect. pr.)* uti recte notavit Gloſſa hic: verbo: *characterem*, quam ſequuntur omnes Repetentes. Atque hoc modo ex hac pœna ſanguinis effuſio non ſequitur. Quod ad *(3)* & quidem obſtantem *l. 17. C. de pœn.* attinet, laudatus Autor illam haud adverſam eſſe dicit. Dum enim Urbanus III. *cap. 3. h.* characterem imponi juſſit Clerico ſimpliciter ſine denominatione partis alicujus in corpore, putat non præciſe in facie illum inurendum eſſe, ſed in aure vel alia corporis parte. Licet Grœnewegii judicio, quod & verius eſt, ex *d. c. 3.* magis concludi poſſit, de jure Canonico in quacunque corporis patte reis ſ. Clericis ſ. Laicis characterem licitum eſſe imprimi. Idcirco melior reſponſio ad 3. rat. dub. eſt, quæ in qu. 1. ſupra reperire eſt, quod ſcil. lex illa non amplius obliget, multo minus vero capitulo h. derogari poſſit. Ad *(4)* denique reſpondetur: Clericus falſatorem literarum Principis gravius puniri, quam literarum Apoſtolicarum Corruptorem. Adeo ut ex *cap. 3. & 7. de Cr. falſ.* nulla contrarietas, ſed ſequens deduci poſſit aſſertio: Clerici Falſarii literarum Apoſtolicarum deponuntur ab officio & beneficio, & ſi circa ſigillum Principis falſum admiſerint, degradati & ſtigmate notati in exilium mittuntur. Jure itaque ſummo hæc ſtigmatis pœna in Clericos falſarios licita erit, quam & in Gallia obtinuiſſe, confirmant Jac. Gothofr. *ad l. 2. C. Theod. de pœn.* exemplo inſigni relato Præſidis quondam Tholoſæ in fronte ſtigmate inuſti, inque inſulam relegati, ob falſam inquiſitionem factam. & Gregor. Tholoſ. *Lib. 36. c. 5. n. 7.* his verbis: *Solent in Gallia, qui falſarunt ſigillum regium, catamidiari, & poſt fuſtigationem ſtigmate lilii inuri in fronte, & exilio vel deportatione affici, bonis Cancellario regio adjudicatis vel multa olim,*

Papo *lib. 22. Rhapſ. Arreſt. tit.* 12. *art.* 1. 2. 3. *hodie autem Regi, ex regio edicto promulgato A.* 1522. *Pœna quoque hæc in Clericis obſervanda, præcedente tamen inuſtionem exauctoratione ſeu degradatione ex Reſcripto Urbani Papæ in c.* 3. *x. de Crim. falſ.* Quem morem tamen hodie in Clericis prorſus exoleviſſe dicit cit. Gothofr. & ex Autumno Grœnvvegen *de LL. abrogat.* ad *l.* 17. *C. de pœn.*

Qu. VI.

An relegati poſſint ſignari nota in fronte inuſta? R. re abſolute conſiderata, dicendum eſſe, relegationem, notationem ſtigmatis non admittere; cum enim relegatio jure moderno ſit pœna civilis, non criminalis, de jure Romano vero hujusmodi exilii genus imponebatur ſalvo jure civitatis *l. 4. l. 7. §. 3. de interd. & relegatis.* quapropter & Ovidius l. 5. triſt. deſe:

Ipſe relegatus non exulis utitur in me
Nomine: & alibi:
Quippe relegatus non exul dicor in orbe.

vid. Venerand. Parent. *Paraph. & Com. ad §. 2. J. quib. mod. Jus patr. pot. ſolv.* Hinc hoc modo conſiderata relegationis pœna nec infamiam nec inuſtionem ſtigmatis ſecum trahere poteſt, cum pœna non, ſed cauſa infamet. At enimvero ſi delictum ſit perpetratum, quod infamiam importet, atque adeo delinquens tali relegatione, quæ ordinaria eſſe debet gravior, puniendus, quis dubitat, quia cauſa pœnam aggravat, & hic locum invenit omnino *l. 22. ff. de his qui not. infam.* dum ſancit: *ictus fuſtium infamiam non importat, ſed cauſa propter quam id pati meruit, ſi ea fuit, quæ infamiam damnato irrogat. In cæteris quoque generibus pœnarum, eadem forma ſtatuta eſt*, & infamia & ſtigmatis nota reum tunc affici poſſe. Quemadmodum enim ab grande quoddam ſcelus relegationi poteſt fuſtigatio, vel alia corporis afflictiva accedere.

vid.

vid. Carpzov. *qu.* 135. *n.* 6. quidni & ſtigmatis inuſtio. Et hoc in delictis militum non ſolum, ſed & aliorum furum ſcil. & illorum qui contra Urphedæ fidem revertuntur, locum habere, experti juris eſt; cum hujusmodi pœnæ omnes ex arbitrio Judicis ſolum dependeant.

Qu. VII.

An ſagæ a diabolo ſtigmate notentur? Et an, ſi ejusmodi ſignæ adſint, inde magiæ vel pacti cum diabolo indicium ſit præſumendum, ob quod Inquiſitio inſtituenda? Sunt graves Authores Practici, experientia teſtantes, qui perhibent, diabolum, ſi metuat, ne magi cultum ipſius deſerant, certas notas eorum corporibus imprimere, interdum ſatis conſpicuas, ut in dextro humero, aut in femore, poſt aures, aut etiam in fronte ſumma, in occipite, in pectore; interdum minus conſpicuas, in locis abſconditis, vel ſub labiis, axillis, palpebris, vel in ſede ima, fœminis quandoque in mammis, aut muliebribus locis; & has notas certam quandam formam aut veſtigii leporis, aut bufonis pedis, aliquando araneæ, vel catelli, gliris, aut alterius habere. Bodin. *Dæmonom. lib. 4. c. 4. p. 369.* Godelm. *l. 3. cap. 3. n. 26.* Qui locus diabolico ſtigmate notatus ita exſanguis eſſe dicitur, ac ſenſu labefactatus, ut ne admiſſa quidem acus altiſſime, dolorem faciat, aut ſanguinem minimum efficiat: Gödelman. *cit. loc.* & Carpz. Pr. Crim. *p. 1. qu.* 38. *n. 51.* Certe Paul. Zachias *L. 7. Q. Q. medico-legat. tit,* 4. fuſe probat Cacodæmones, ubi Chriſtianos inſidioſis artibus a recto vivendi tramite ad ſortilegas artes & occulta veneficia traduxerint, eos quaſi captivos notis quibusdam in ſecreta corporis parte conſignare. Comprobat id porro decem Sagarum exemplis Petr. Oſterman. *Commentar. ad L. 3. Stigmata C. de Fabricenſ. ſect. 8.* ex Nicol. Remig. *Lib. 2. Dæmonolatr. cap. 5,* ubi addit; poſtquam a ſaga confeſſum, a dia-

diabolo hanc notam esse; sibi in mentem △ enisse, experiundi verumne esset, quod de ejusmodi stupore ferebatur. Ergo jussisse in eam aciculam penitissime infigi atque inculcari. Quod cum in satis magna hominum frequentia esset factum, & incruentum omnino vulnus apparuisse, & nullum sagam doloris vel minimi indicium adspicientibus dedisse. Ut taceam plura ex pluribus. Sed hoc ipsum est, de quo alii vehementer dubitant, dicentes, hanc potestatem ejusmodi stigmata inurendi diabolum minime habere; & si habet Dei permissione, sequi, quod eadem permissione non sagis solum, sed piis etiam Cacodæmon characteres inurere possit, sicuti Jobum ulceribus obruit. Deinde etiam signa si talismodi in corpore humano reperiuntur, semper esse naturalia vel alia de causa sæpenumero etiam homini ipsi ignota, orta. Quorum in sententiam plane me descendere, non inficias eo. De qua tamen in seq. qu. plura.

Qu. VIII.

Ad alteram quæstionis propositæ partem quod attinet, An nimirum ex talismodi signis magiæ vel pacti cum diabolo indicium sit præsumendum, ob quod inquisitio sit instituenda? Eam non quidem disertis verbis, re tamen ipsa male affirmare Carpzovium in *Pr. Cr. p.* 1. *qu.* 48. *n.* 51. Just. Oldenkoppius in Tract. duobus contra Carpzov. *decad.* 3. *qu.* 10. asserit, & Bodinus ait: ex his indiciis desumtam præsumtionem esse firmissimam, & cum aliis sufficientem, ut procedatur ad condemnationem. Cui assentit Höpping in hunc modum scribens: *Primo quod talia extent stigmata, novissime in causa W. contra Senatum Civitatis Imper. S. Mandati de non excedendo Constitutiones Carolinas allegatum vidi, ubi carnifex ita deponit:* daß er bei angegebener Hexen/das rechte Hexen Zeichen etwas klein/blau/ leberſichtiglich hinten uf der Schultern gefundē/eine ſpitzige Kluffen eines Gleiß tief einge-

eingedruckt / deſſen Sie im geringſten nicht empfunden / und als ihr ſolches in Examine uf ihre hartnäckige Verläugnung vorgehalten / zur Antwort geben / wüſte nichts davon / es müſſe ihrs der Meiſter ſelbſten alſo dahin gegaukelt haben. *Hoc ſtigma Diabolicum Reæ Advocatus naturalem dicebat eſſe maculam, ſed quia ſenſu & dolore in pungendo deſtituebatur, pro ſupernaturali & magico habendum. Atque ob id Secundo prædictus Senatus Civitatis Imp. S. ad ICtorum, Friburgenſium, pro confirmatione ſuæ ſententiæ Remig. tract. de Dæmonolatr. cap. 5. allegantium Reſponſum de dato 28. Sept. Anno 1629. ſecundum ea, quæ propoſita fuerunt ad torturam indicium eſſe reſpondentium, Ream W, pro eruendo crimine quæſtioni juxta l. 1. & t. t. ff. de Quæſt. ſubjecerunt.* Ii autem qui ejusmodi ſtigmata infallibilia magiæ ſigna judicant, ſequentibus utuntur argumentis: (1) Quod ſtigma tale evidentem diſſimilitudinem ab omni carne naturaliter vel vi morbi exſangui habeat. (2) Quod reperiatur ſine ullo fœtore aut putredine, quæ tamen communiter in carne exſangui & inſenſibili obſervatur. (3) Quod ſit circumdatum carne viva, & in omni corporis parte reperiatur, cum tamen ejusmodi caro exſanguis plerumque corporis occupet extremitates. (4) Quod induret pellem, ſecus ac caro naturaliter emortua. (5) Quod ſtigma ſ. caro emortua diaboli opera nunquam impediat uſum membrorum, quem caro naturaliter mortua adimit. Quodque inſuper (6) caro naturaliter mortua nunquam in tam exigua quantitate, qua ſtigmata, reperiatur, ſed ſemper ſenſu perceptibilis ſit, quod ſecus in ſtigmatibus, quæ interdum videri nequeunt vid. Stryk. *de Jur. ſenſ.* ibique alleg. Oſterman. *Sect.* 9. Sed quicquid horum ſit, verior & rationabilior negativa eſt, pro qua utar Oldenkoppii optime totam rem exprimentis verbis: Initio eſt obſervandum, maculas ſeu ſtigmata in corpore humano dici vel

visibilia, vel invisibilia. Visibilia possunt esse naturales notæ, vel in utero materno (quod fit sæpissime) maculæ quædam receptæ & cum homine natæ, vel cicatrices, vel locus alia de causa sensus expers, veluti caro spongiosa, vel etiam cicatrices, quæ ex prægresso aliquo morbo relinquuntur, quæ a variolis, morbillis aliisque pustulis, tumoribus, vulneribus, aut ulceribus remanere solent. Vid. omnino hac de re Paul. Zachias *in quæst. medico-legalibus lib. 7. tit. 4. qu. 1. n. 5. & 12.* Talia pro indiciis magorum habere, tam ineptum est, quam iniquum. Et quis dubitare velit, ejusmodi opinionem, omnes etiam innocentissimos, maculas connatas vel cicatrices habentes in continuo constituere periculo, effectum suum sortituro, quandocunque capiendi corporis denudandi & inspiciendi & latruncularoribus & carnificibus datur potestas. Tunc si lictor s. carnifex in istis locis mortificet carnem captivi, quod medicamentis & aliis remediis fieri posse dubium non est, Paul. Zachias *d. loc. quæst. 2. n. 15.* aut eam leviter tantum compungat, vel simulet compungere, vel utatur stylis dolosis, magicis & incantatis, & ita fabricatis, ut cum libet, intrent & vulnerent, cum non libet, introire tantum videantur, in se ipsos reducti, quales sunt cultelli joculatorum; vel carnifices ipsi sæpe magi incantatoria arte sanguinem sistant, & carnis stuporem inducant, de quibus exempla recenset Autor Anonym. *in caution. criminal. dubio 43. pag. m. 297. & 298. & dubio 11. pag. 49.* Indicium blateratur adesse magiæ, etiam ad torturam, si stigmata sunt invisibilia, & vel indicentur à carnifice, vel ab ipsis magiæ inquisitis, idque ex cruciatu torturæ, vel ejus metu similiter: iisdem fraudibus carnificum eorumque impositione sunt obnoxii Magistratus & Judices. Et etiamsi ex acus in locum monstratum immissæ punctione non sentiat dolorem captivus, & ille sanguinem non emittat; hoc tamen naturaliter fieri posse, & multa de vanitate

& fal-

& falsitate indicii stigmatum sive visibilium sive invisibilium, latius & rationibus optimis demonstrat Paul. Zach. *in Q. Q. med. legal. allegat. loc. lib. 7. tit. 4. per tot.* Quibus adde J. G. Gödelmanni Tr. *de Magis Veneficis & Lamiis recte cognoscendis & puniendis Lib. 3. C. 3. n.* 28. *verbis*: sed hæc indicia inania sunt, absurda & frivola; ideoque rejicienda, nec admittenda. Res itaque ex hactenus dictis satis clara est, ex talismodi signis (præcipue cum secundum Practicorum propriam confessionem signa ea, quæ quandoque quibusdam iterum delentur, non omnibus sagis a Dæmone inurantur, sed illis solum, quarum defectionem metuit, Carpz. *P. Cr. q. 48. n. 51.*) magiæ vel pacti cum diabolo indicium præsumere, vel, quod magis est, inquisitionem instituere, & equuleo veritatem extorquere velle, non tam incertum, quam injustum & nefarium esse. Quamvis Stryckius in Tr. de Jure sensuum media incedendum via esse arbitretur, dicens: Non spernenda plane esse stigmata, nec tamen illis tanquam infallibili indicio fides adhibenda. Alia indicia si desunt, hoc ad torturam inferendam inefficax; cum ex certis demum indiciis, non ex occultis & dubitatis ad illam Judex debeat pervenire; stigma enim tale sibi soli relictum non est. Alia itaque, quæ suspectum reddere accusatum possunt, indaganda, quæ sicubi adfuerint, iisque indiciis stigma accesserit, tunc tortura ulterior veritas poterit inquiri. Hoc tamen simul observato, ut Carnifici inquirenti in talia stigmata, vel Scabini, vel Notarius cum testibus adsint, diligenter observantes, ne quid fraudis à Carnifice admittatur.

Qu. IX.

Amplius quæritur: An stigmate notatus testari, vel testamentum condere possit? Licet negativa ex decidendi ratione colligi possit, quod talismodi stigmaticus simul infamis fiat, propter delictum dolosum præcedens *l. 7. ff. de publ. judic.* Infamis

autem eodem cum reliquis jure uti nequeat. Attamen affirmativam defendere judico æquius. Siquidem extra dubitationis aleam positum, infamiam in se & solum consideratam nunquam privationem bonorum & amissionem juris communis inferre, sed saltem a consuetudine honestorum virorum, ab officiis item & dignitatibus arcere hujuscemodi homines solere uti videre est ex *l. 2. C. de dignitatib.* hinc facile conjecturare licet, ei, qui infamiæ notam publicam incurrit, nihilominus libere de rebus suis disponere & testamentum scribere validum integrum esse. Quod & communis Dd. opinio est; quam præter & assentientes in specie adduco Duaren. *ad rubr. qui testam. fac. poss. vers. nunc vidend.* Clar. *§. Testamentum qu. 32.* Dauth. *de Testam. n. 265.* qui inter alia *ad l. 26. de testam. milit.* provocat, ubi militi a militia ex causa ignominiosa misso atque adeo infami, der als ein Schelm vom Regiment gestossen worden / jure communi testari non est prohibitum; sed saltem ne militare testamentum tanquam privilegiatum conficiat, cum omnium privilegiorum militarium per pravum & ignominiosum suum factum incapacem sese reddiderit. Firmiter itaque subsumendum, quicquid infami in genere est concessum, illud stigmate signatis denegari nullo jure posse. Et hinc eo magis stigmaticis testamenti factio permittitur, quo magis ne quidem ultimo supplicio damnatis illa est hodie interdicta. De jure equidem veteri confiscatio bonorum capitali pœnæ erat annexa *jx. l. 1. pr. ff. de bonis damnat. l. 8. §. fin. qui testam. fac. poss.* quod nec hodie mutatum esse statuunt Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. Disp. 10. θ. 10.* Perez. *in Cod. de testam. n. 4.* Struv. *ad ff. eod. tit. θ. 8. n. 8.* Dieterich. *in Colleg. Criminal. Disp. 10. θ. 6. lit. Q.* & alii. Et nil officere Nov. 22. c. 8. in qua servitus quidem pœnæ sublata legitur, sed civitas amissa non restituitur; nemini autem nisi civi permitti-

tur

tur teſtamenti factio *l. 1. pr. ff. ad l. falcid. l. 29. ff. de pœn. d. l.* 8. *§. f. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Neque etiam Novellam 134. *c. ult.* quæ quippe ultimo ſupplicio damnatis heredes legitimos ab inteſtato denominat, teſtandi autem facultatem non tribuit, Rittershuſ. *Novell. p. 13. c. 4 n. 4. & ſeq.* ubi etiam agit *de Nov. 12. & Nov. 17. c. 12.* Carpzov. *Pr. Crim. qu. 135. n. 20.* Sed ſalva res eſt. Utut enim hæc recte omnino ſe habeant de Jure Civili, conſuetudine tamen & Praxi omnes ad teſtandum admitti morte plectendos, (ſolis exceptis iis, qui ad confiſcationem omnium bonorum ſimul etiam expreſſe condemnati ſunt) teſtes ſunt graviſſimi JCti, inter quos eſt Carpz. ante laudatus *dict. qu. 135. n. 22.* ubi de conſuetudine luculenter teſtatur his verbis: Etſi vero lubens fatear, veriſſimam eſſe hanc ſententiam, & teſtamenta talia de jure parum vel nihil valere; Attamen hodie fere ubique contrarium obſervari de conſuetudine generali, ita ut & hi qui ſunt decapitandi, plerumque in carcere faciant teſtamenta & inſtituant hæredes, qui ad ſucceſſionem poſtea quoque admittantur, teſtes ſunt Jul. Clarus *lib. 3. ſent. §. teſtament. qu. 21 n. 1.* Albert. de Roſat. *in l. ejus qui §. 1. n. 1 ff. qui teſt. fact. poſſ.* Matth. Coler *p. 1. deciſ. 34. n. 6.* ubi in cauſa cujusdam damnati ad furcas, qui priusquam ſententia publicaretur, facto teſtamento Xenodochium Cyzenſe ſuorum bonorum heredem inſtituerat, Jenæ Menſe Majo Anno 1575. ita pronunciatum, ac teſtamentum pro valido fuiſſe habitum refert, id quod etiam alio appoſito præjudicio confirmavit prædictus Autor. Richter. *decis. 57. n. 2.* & Philippi *in Uſu Practic. Inſtit. L. 2. tit. 12. eclog. 51.* qui ſimile de conſuetudine fert teſtimonium ſubjecto bino præjudicio. Quin imo fecit Legislator Saxonicus ex hac conſuetudine legem ſeu Jus ſcriptum in Conſtit. Elect. 6. p. 3. So conſtituiren ordnen und ſetzen wir / daß diejenige / ſo auch gleich zur Todes-Straff verdammet und verurtheilt / ihre Güter

halber / und von alle denne / ſo ſie nach ihrem Tode verlaſſen werden / Teſtament machen / und in andere Wege durch beſtändige letzte Willen / kräfftige Verordnungen richten mögen / jedoch wollen wir damit nicht gemeinet / ſondern ausgeſchloſſen haben / wann die Ubelthäter nicht allein zum Tode / ſondern auch zur Confiſcation aller ihrer Güter verdammt werden.

Qu. X.

Nunc decidenda venit: An ſtigmate notatus teſtis eſſe poſſit? Quod ſimpliciter, nil quicquam obſtante *l. 13. ff. de teſtib.* & Gothofredo ad illam, negatur. Siquidem ob commiſſum crimen notatus infamis fit. *l. 7. de publ. jud.* Infamis autem teſtimonium *de Jure Civili* non admitti conſtat ex *l.* 1. §. 1. *l. 3. pr. &* §. 5. *l.* 15. *l.* 18. *l.* 21. *ff. de teſtib.* Quamvis Græci iſthanc enumerationem non generaliter de omnibus judiciis acceptam velint, ſed ad legem Juliam de vi reſtringant. vid. Ecclog. Baſilic. *L.* 21. *Tit.* 1. *c.* 4. Rectius vero Accurſius in *d.* §. 5. & Donell. *L.* 25. *comment. cap.* 1. *de teſtib.* ad omnia judicia pertinere arbitrantur, *arg. d. l.* 15. *junct. l.* 20. §. 5. *ff. qui teſtam. fac. poſſunt.* de cujus lectione vid. Gothofr. & Cujac. a ſe allegat. *l.* 6. §. 1. *ad L. Jul. repetund. l.* 14. *l.* 18. *de teſtib.* Simili ratione omnes, qui vel edicto, vel lege, vel pronunciatione judicis infamia notantur, à teſtimonio dicendo reppelluntur, ſecund. Gloſſ. & alios Dd. in *l.* 1. *C. de ſumma trinit.* Azo *in ſumma C. de teſtib.* Sichard. *ad eand. rubr. n.* 1. Farinac. *qu.* 56. *n.* 26. Weſenb. *paratitl. num.* 3. Diſſentiunt equidem Donellus *dict. cap.* 1. & Duaren. 2. *diſp. anniverſar.* 23. *& ad titul. Codic. de teſtib. capit.* 1. Sed communis ſententia verior eſt habenda *arg. l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 13. *l.* 21. §. 2. *ff. de teſtib. l.* 2. *ff. de ſenator. d. l.* 6. §. 1. *ad L. Jul. repet,*

repet. Nov. 90. c. 1. De infamibus facti, quos vocant, notant Interpretes, quod à teſtimonii dictione arcendi ſint in cauſis criminalibus & arduis, *Dd. in l. 1. C. de ſumma Trin.* Coſtal. *in l. 2. ff. de ſenator.* Clar. §. *fin. qv. 24. n. 13.* Farin. *d. qv. 56. n. 110. & 115.* Verum cum loquantur ſine lege, illis calculus ſimpliciter non erit addendus; quanquam fides horum infamium non ſit tanta, quantam integri vitæ ſcelerisque puri merentur. Ferrat. *ind. l. 3.* §. *lege.* & Donell. *cit. loc.* De Jure Canonico res dubio caret, ſiquidem juxta hujus diſpoſitionem teſtimonium infamis prorſus nullius eſt momenti *c. infames. c. 6. q. 1. c. 54. X. de teſtib.* Mev. ad Jus Lub. *lib. 5. tit. 7. art. 4. n. 4. & 5.* Struv. *ad tit. de teſtib. θ. 38.* ſecus ſi legitimatus atque adeo in integrum reſtitutus, quod fit in milite, **wenn die Fahne wieder über Ihn geſchwungen worden**/ quæ reſtitutio gratiæ dicitur; & tunc abſorbetur infamia *l. 1. §. 9. 10. ff. de poſtul. l. 1. C. de ſent. paſſ.* Franzk. *ad tit. de poſtul. n. 13.* licet non ſtigma, cum per hoc nullam infamiam ſibi contraxerit, ſed male agendo ſecundum Marcellum *in l. 22. ff. de his qui notantur infam.*

Qu. XI.

An qui auriculam perforat, annulumque appendet, pro ſtigmatico haberi queat? nunc ponderanda. Proprium olim id aurium ornamentum fuiſſe fœminarum, quarum quippe natura præ marium indole magis inclinat ad mollitiem & ſuperbiam (quæ tamen quandoque & viros, quos juxta Poëtam, forma neglecta decet, invaſit) ex hiſtoria Romana ſatis abunde certum eſt. Inde vocabantur olim auriculæ ornatrices fœminæ, qualis erat Julia Livia Auguſta. vid. Pignor. *de ſervis p. 199.* Ornatus v. aurium plerumque conſiſtebat in elenchis, *quos* narrante Plinio, *appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes.*

Hinc

Hinc Juvenalis Sat. 6. v. 460.

— — — *& cum*
auribus extentis magnos commiſit elenches.

Nota eſt inſuper, refereute Valer. Maximo, hiſtoria Cleopatræ, quæ par elenchorum totius mundi maximorum ab Anteceſſoribus Regni Ægypti relictorum, poſſidebat, horumque unum aceto prius colliquefactum in præſentia mariti ebibebat. Quicquid interim ſit, negativè quæſtio decidenda erit, ideò, quod nullum delictum, quod infamiam importet, præceſſerit. *l. 7. de publ. jud.* Licet non negem, cum inter ſtigmata gloriosa, quorum memini ſupra Sect. prior. *§. IV.* referre minime queant, peccare eos & eas moraliter; cum nemo membrorum ſuorum ſit Dominus. Id quod non ſolum ſana ratio, ſed & ſcritura ſacra expreſſe dictitat. Perpulcra & quæ cumprimis huc transferri merentur, ſunt hanc in rem verba Cypriani *de diſcipl. & habitu virgin.* quibus id pluribus comprobat, *An vulnera*, inquiens, *inferri auribus Deus voluit? quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur, ut poſtea de aurium cicatricibus & cavernis pretioſa grana dependeant, gravia etſi non ſuo pondere, mercium quantitate.* & paullo poſt: *non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla, de armillis & monilibus catena pretioſa, ſint a compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni.*

Qu. XII.

et ultima tandem reſolvenda. An, qui in facie ſtigma vel ſignum connatum habet, **wenn einer ein Brandmal oder Zeichen mit auf die Welt gebracht** / & An, qui aurem vel naſum, aut partem alterutrius caſu, v. gr. dimicando, morbo &c. amiſerit, pro ſtigmatico cenſendus ſit? Duas habet partes hæc quæſtio, cumque, quoad primam ex hactenus dictis cumprimis

ex

ex qu. VIII. negativa reſponſio facile ſit colligenda, plura de induſtria non addo; & ſaltem partem alteram breviter inſpiceo, quæ itidem ex quæſtionum antecedentium decidendi rationibus neganda eſt, Nemini enim id quod caſu vel citra culpam factum imputandum eſt, multo magis infamia objicienda, per Jura notoria. Memorabile eſt Tychonis de Brahe Mathematicorum Coryphæi ſuper æthera noti exemplum, cui, cum ſtudiorum cauſa Haffniæ degeret, in conflictu nocturno naſus enſe abſciſſus eſt, (cui tamen defectui, argenteo naſo adeo bene conſuluit, ut ne ſcientes & ſcrutantes quidem differentiam attendere potuerint) quod nequaquam obſtabat, quo minus poſtea, ad Conſiliarii & Mathematici Gæſarei diginitatem advectus, & Imperatoris ſumma gratia fruitus fuerit. Ubi tamen monendum cenſeo, privatis ita caſu ſignatis opus eſſe teſtimonio quopiam authentico, ne apud graves Viros aliosque ſuſpicionem infamiæ incurrant, quæ ſine hoc ſæpe numero alias vix declinari poteſt. Claro id corroboro clari nominis Colonelli exemplo, qui morſu equi partem auris amiſerat, ideoque, cum adhuc inter milites plebejos numeraretur, teſtimonium a Colonello ſuo ſibi dari curaverat, quo rei veritatem ubique probare, infamiamque, quæ alias militibus aure vel naſu mutilatis objici plærumque ſolet, a ſe declinare potuit. Multo minus cicatrices in facie vel corpore militibus probro ſunt, cum dehoneſtamenta illa faciei corporisve totius regulariter militum ſint gloria & virtutis teſtimonia. Sicuti de L. Sicinio (alias Siccio) Dentato narrat Val. Max. *l. 3. rer. memor. c. 2. n. 24.* Dio *lib. 10. &* Plin. *l. 7. c. 28.* qui poſtquam centies & vicies in aciem eo animi & corporis robore deſcendiſſet, ut majorem ſemper victoriæ partem traheret, quinque & quadraginta vulnerum pectore exceptorum, tergo cicatricibus vacuo, maculas ſuminum corporis ſui ornamentum &

ſplendorem habuit. Nec minora Manlii Capitolini fuerunt decora, dum 33. cicatricibus adverſo corpore inſignis fuit, & M. Sergii ter & vicies vulnerati, referente Plinio d. l. Hinc bene Corn. Agrippa de *Vanit. ſcient. c. 79. in f.* Inſignia, ait, militiæ ſunt non purpura, torques, annuli, tiaræ; ſed adverſo corpore vulnera & deformata cicatricibus corpora. Unde apud Liv. *decad. 1. l. 4. c. 58.* vulnera & cicatrices ſuas numerant, rogitantes, quid jam integri ſit in corpore loci ad nova accipienda vulnera.

TANTUM !